



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quomodo intelligatur, quod scriptum est cum factum fuerit credatis. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

frequentè præcedit: vel de actu fidei, qui forte naturaliter actum charitatis præcedit, sicut actum spei, quod verba præmissa diligenter notata inveniunt, & ea etiam quæ addit dicens, Nisi ea, inquit, quæ audis credideris, ad amandum ea, quæ audis non inflammaberis: quæ tantum de non visis est, vt ante diximus. Vnde Chrysostr. Fides in anima nostra facit subsistere ea, quæ non videntur: de quibus proprie fides est, de visis enim non est fides, sed agnitio.

*Chryf. super epist. ad Hebr. hom. 21. in fine circa illud cap. 11. Fides est sperand.*

QUOMODO INTELLIGITUR QVOD SCRIPTVM est, vt cum factum fuerit credatis.

DISTINCT. XXIV. A

Hic quæritur, si fides tantum de non visis est, quomodo veritas Apostolis ait, Nunc dico vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis: vbi innuunt videretur, quod fides illis fuerit de factis & visis. Super quo Aug. mouet quæstionem & absoluit, ita inquit. Quid sibi vult. Vt cum factum fuerit credatis. Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam & Thomas, cui dictum est. Quia vidisti me, credidisti: non hoc credidit, quod vidit. Cernebat enim & tangebatur carnem uiuentem, quam viderat morientem, & credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente, quod non videbat, per hoc quod sensibus corporis apparebat. Si vero dicuntur credi quæ videntur, sicut dixit vnusquisque oculis suis credidisse: non ipsa est, quæ in nobis ædificatur fides, sed ex rebus quæ videntur, agitur in nobis vt ea credantur, quæ non videntur. Ex his aperte intelligitur, quod proprie fides non apparentium est. Nec illa est fides qua in Christo ædificamur, quæ dicimus vsitata locutione, nos ea credere quæ videmus. Alibi tamen dicit Aug. fidem esse de rebus præsentibus: quæ erit in futuro, cum per speciem Deum præsentem contem- plabimur: quæ tamè non proprie dicitur fides, sed veri-

*Ioan. 14. Aug. super Ioan. in tractat. 79. in initio. Tom. 6. Ioan. 20. 8. Aug. lib. 1. Quæst. Euang. ca. 39. Tomo 4.*

veri-

veritas. Est, inquit, fides qua creduntur ea, quæ non videntur. Sed tamen est etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis presentibus creditur, quod erit, cum per speciem manifestam se contemplandam Sanctis præbebit Dei sapientia. Sed non proprie hæc dicitur fides, immo fidei merces ad quam credendo peruenietur: ut ex fide verborum transeat iustus in fidem rerum.

*Si Petrus habuit fidem passionis, quando vidit hominem illum pati.* B

Si vero quæritur, utrum Petrus fidem passionis habuerit, cum hominem Christum oculis percernebat. Dicimus eum fidem passionis habuisse, non in eo, quod credebat hominem pati, quia hoc videbat, sed in eo quod credebat Deum esse, qui patiebatur. Non enim virtus fidei erat, quod crederetur homo pati & mori, quod Iudæus cernens crederet: sed quod crederetur Deus esse, qui patiebatur. Unde Aug. super illum Psalmi locum, Respondit ei in via virtutis suæ: Laus fidei est, non quia credit hominem illum mortuum, quod & Paganus credit: sed quia credit eum glorificatum & verum Deum. Credit ergo fides Deum mortuum, & hominem glorificatum. Non ergo fuit Petro fides credere hominem illum mori, quod oculis cernebat: sed credere Deum esse, qui moriebatur. Nec nobis etiam fides in hoc meretur, quod credimus hominem illum mortuum, & quod Iudæus credit: sed quia credimus hominem Deum mortuum esse.

*Si aliqua sciuntur, quæ non creduntur.* C

Post hoc quæri solet, cum fides sit de non apparentibus & non visis, utrum etiã sit de incognitis tantum. Si n. de incognitis tantum est, de his videtur esse tantum quæ ignorantur. Sed sciendum est, quod cū visio alia sit interior, alia exterior, nõ est fides de subiectis exteriori visioni: est tamẽ de his, quæ visu interiori utcumq; capiuntur. Et quædã sic capiuntur.

*Enarrat  
ne in Ps. 101.  
concione 2.  
tom. 8.*